

naculum currunt, vociferantes, adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas. Itaque, ut quae nec prohibere possent, nec admittere auderent, nullo responso dato, tacitae opperiebantur victoris arbitrium. Leonatus expectato diu qui se intromitteret, posteaquam nemo procedere audebat; relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbaverat feminas, quod irrupisse non admissus videbatur. Itaque mater et conjunx, provolutae ad pedes, orare coeperunt: *ut, priusquam interficerentur, Darii corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio, se impigre morituras.* Leonatus, et vivere Darium, et ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinae fortunae reginas fore. Tum mater Darii adlevari se passa est. Alexander postera die cum cura sepultis militibus, quorum corpora invenerat, Persarum quoque nobilissimis eundem honorem habere jubet, matrique Darii permitti, quos vellet, patrio more sepelire. Illa paucos arcta propinquitate conjunctos, pro habitu praesentis fortunae humare jussit; apparatus funerum, quo Persae suprema officia celebrarent, invidiosum fore existimans, quum victores haud pretiose cremarentur. Jamque justis defunctorum corporibus solutis, praemittit ad captivas, qui nuntiarent ipsum venire: inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephaestione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non aliis jus habebat, quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur; et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat.

Ergo reginae illum regem esse ratae, suo more veneratae sunt: inde ex spadonibus captivis, quis Alexander esset, monstrantibus, Sysigambis advoluta est pedibus ejus, ignorationem nunquam antea visi regis excusans,